Animæ immortalitas rationi non adversatur.

ERgone tam proprij quisquam est oblitus hon
Degener ignavam subit, & sententia menter
Vllius, vt mentes putet euanescere in auras,
Postquam corporea fuerint compage solutæ?
Quæ si vera(quod absit)quin Epicure triumphes,
Teque putes solum vitæ tenuisse beatæ
Rectum iter, & reliquos flexisse per avia gressus
Virtutes rigidas, ærumnosasq; sequentes.
Nam vere vitalis erit Cyclopica vita
Corporeis immersa bonis, secura futuri.
Error erit pietas communis, terror inanis
Infernus, fucus virtus, & fabula cœlum.
Hæc tantum fuerint hominum commenta vafrorum,
Credula in obsequium flectant vt pectora vulgi.
Quid? pietasne, & virtus per mendacia constant?
Infœlix virtus! at vos Cyclopis alumni,
Mortales(heu frustra)animas optabitis olim.
Nulla fidem facient nisi sensibus obvia crassis?
Nonne aciem fugiunt oculorum ventus & aer?
Cerneturq; oculis animæ exilientis imago?
Spiritus est animus simplex divinitus haustus:
Non ex materiæ gremio producitur almæ,
Non in materiæ gremium resoluta redibit,
Cœlestisq; ortus memor ad sublimia fertur,
Carceris atque sui sordes pertæsa, per omnes
Aeris & Cœli tractus, pelagiq; vagatur,
Immensiumq; brevi spatio circumvolat orbem,
Naturæq; omnes penitus scrutatur abyssos.
Crescit amor veri quantum ipsa scientia crescit
Huccine num potis est terrena assurgere moles?
Corpore languenti, mentis mage vivida virtus
Sensibus abstracta &, dulci se nectare pascit,
Ipsaq; cœlestis cœlestia pabula quærit
Nititur vtque ignis supera ad conuexa volare:
Ignea sic animi superas vis tendit ad auras.
Et sicut liquidis saliens è fontibus vnda
Per terræ venas varijs anfractibus errat,
Assurgat donec quantùm descenderat ante:
Sic mens natales petit irrequieta supernos,
Æterni sitibunda boni, haud saturata caduco.
Mentibus hæc ergo frustra aut innata cupido
Corporis obijcibus ruptis, aut, luce fruetur
Optata. Et quis erit qui spurco grunniet ore
Non superesse animam diuinæ particulam auræ?
Vnam at perpetuis noctem dormire tenebris?
Gothus, Arabs, populiq; polo sub vtroque iacentes,
Indus & Hibernus Phœbo sub vtroq; iacentes,
Immortalem animam concordi voce tuentur.
Inque malis medijs hac spe sua damna leuarunt
Illustres animæ, mortem per dura petentes.

ERGO

Exuta infirmos moribundi corporis artus
Vivit, & æternum vivet mens nescia fati.